



**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

cxii [i.e. x]. Sed per novarum partiu[m] qualitatis es eadem subjecti parte
eductarum unionem inter se & cum subjecto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](#)

q. 27. dum ait: quod quidam dixerunt, charitatem non augeri secundum essentiam, sed solum secundum radicationem in subjecto, vel servorem, hi vocem ignorarunt. Fatae nihilominus, eundem ipsum hunc S. Doct. explicare intensionem per majorem radicationem, sed longe aliter explicandam, nimirum, quod fiat per partes plures acquisitas, sicut arbor tunc magis radicatur, quando plures radicum partes acquirit.

X. Verum fit intensio (qualis non est, dum motui tardo velocior, motus enim manens idem ex tardo nequit fieri velocior, dum figuræ minus curvæ magis curva, eadem enim ex minus curva non potest fieri magis curva, dum actui remissiori substituitur intensior; idem enim actus vitalis, saltem respectu actionis propter modum tendendi variatum non potest esse intensior & remissior) per novorum graduum seu partium intensiarum qualitatis ex eadem subjecti parte educatarum unionem inter se & cum subjecto; Ita enim, ut habet Arist. ex calido aliquid fit magis calidum, sicut ex frigido fit calidum, sed ex frigido fit calidum per productionem novi caloris: sine quo novo calore non poterit

terit intensioni, quæ est vera actio, assignari, verus & positivus terminus. Nequè Arist. contrarius est nobis, qui non docemus, calidum fieri magis calidum accedente novo calido, sed accedente novo calore. Nequè D. Thom. qui negat solùm (ut patebit legenti totum textum) se posse capere, quomodo possit intendi qualitas præexistens in una parte subjecti per additionem alterius totalis qualitatis subjectatæ in diversa parte subjecti: & alibi nihil vult aliud, quia in charitatem non posse augeri per charitatem translatam ex uno subjecto, & uniri alteri præexistenti in altero subjecto; & hæc ejus mens ex eo patet, quod addit: non posse charitatem distinctam addi charitati distinctæ, nisi mens rationalis menti addatur, id est, anima animæ, & ex eo, quod addit: sed augetur (intellige charitas) intensionis gradus recipiendo: apertè se nobis favere demonstrat. Unde licet plura accidentia totalia inter se non continuata, solo numero inter se distincta esse nequirent in eodem subjecto (quod ipsum universaliter verum non est; cur enim duæ cognitiones solo numero distinctæ, duæ species duorum objectorum solo numero

mero distinctorum esse non possent in eodem intellectu) nil tamen vetat, quò minus duæ partes solo numero inter se distinctæ continuatæ inter se, possint subjectari in eadem subjecti parte. Similiter licet terminus adæquatus à quo intensionis (qui est qualitas remissa quatenus habet negationem qualitatis intensæ, seu partis per intensionem addendæ) sit incompossibilis adæquate cum termino adæquato ad quem intensionis (quia hic dicit eandem qualitatem remissam & additam illi partem, cuius ille adæquate spectatus dicebat negationem) terminus tamen inadæquatus à quo incompossibilis non est cum termino ad quem adæquato.

XI. Gradus hi intensionis sunt homogenei seu similis omnino perfectionis solo numero inter se distincti, ita, ut gradus, qui de facto est octavus, potuerit esse primus vel secundus, & quòd sit, seu denominetur octavus, purè tantum & extrinsecè oriatur ex eo, quòd sit posterius, nimirum post alios septem, inductus: non heterogenei seu diversæ rationis, ita, ut in uno intrinsecè sit aliquid, quod non est in altero, & quòd gradus